

Caesar deliberavit in alterum¹ diem. Heri multi nihil aliud expectabant, quam damnationem per edicta, sed *Moguntinus* et quidam alii interposuerunt se ad faciendas aliquas inducias vel speciem quandam pacis usque ad futurum concilium. [Et heri rediit iunior princeps a quodam magno satis laetus et hilaris.] Spes est, ut pro hoc tempore saltem haec dilatio impetretur, ne damnetur doctrina et reliqua nostra. Interim Deus, qui varie et clementer exaudit preces piorum, forsan cor Caesaris alio diriget facietque, ut expendat apud se exactius multa, quae hic nec pietati nec honestati dissona audivit. Deus et pater noster in coelis quotidie ostendit felicitatem consiliorum sitam esse in orationibus. Ich hoffe, dy kinder letanien vnd das pei tisch bethen viler armer weisen in ecclesia Lutherana sey nehe komen throno maiestatis et misericordiae, quam ab initio mundi omnes illi boatus et horae canonicae choralium etc. Tu, mi charissime pater, perge orare et petere, pulsare, et accipiemus supra quam cogitare possimus² nunc aut petere. Caesar in his comitiis accepit per (?) post nuntium, filium infantem in cunis, cui nomen fuit *Triumphoferdinandus*, infantili aetate esse mortuum. Cum lectae sunt literae tristis casus nuntiae, respondit optimus Caesar: Dominus dedit, dominus abstulit, sit nomen domini benedictum. Dux *Georgius*³ aegrotat nescio quo morbo, dicitur laborare dissenteria, quae nunc hic grassatur. Sed dicitur conualescere, utinam dominus Deus convertat eum vel tali aliqua cruce emendet! Proximo nuntio poterimus tibi significare, an ultra mensem durabunt comitia vel non etc. Vale, mi charissime pater, et orationibus tuis commendatos habeas nos et omnes nostros, in primis causam publicam. Vidimus enim et paene palpamus fructum et effectum orationis tuae et praesentiae spiritus tui. Iterum vale. Saluta *Vitum*, per literas uxorem tuam et omnes tuos. Datae raptim *Augustae* sabbato post Vincula Petri Anno domini etc. xxx.

I. *Jonas* tuus ex animo.

[Am Rande:] I. *Storm* heroldus noster et dux ad comitia *Wormaciens.* hic honorificentissime⁴ de te sentit et loquitur apud nos.

Clarissimo viro d. *Mart. Luthero* parenti in Christo ex animo charissimo D. *Martino Luther* zu eigen handen.

Orig. in Hamb. Stadtbibl. I, 102. Abschrift in Manuser. Dresd. C. 342, Bl. 6. Unge-
nauer Abdruck in Fortges. Samml. 1745 S. 7—10. Besser bei Kolde, *Analecta*
S. 144—146. vrgl. Burkhardt, Briefw. S. 182.

¹ K: alteram.

² K: possumus.

³ vrgl. Schirrmacher S. 191.

⁴ K: honorificentissima.